



Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Qualis à Deo visio Attalo martyri per quietem apparuerit. Cap. III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

ricordia cōmoti, multas lachrymas pro eorum salute in
 conspectu Dei patris profundeabant, vitā illis flagitabāt:
 vitam concessit Deus: vitam etiam cum proximis com-
 municarūt: victores in omnibus ad Deum profecti sunt:
 pacem amplexati, pacem nobis commendarunt: cū pace
 deniq; ad Deum decesserunt: non matri ecclesiæ mole-
 stiā & angore, nō fratribus bellum & seditionē, sed gau-
 dium, pacē, concordiā, & charitatem reliquerunt. Ista
 igitur de beatorum illorum martyrum amore, quē erga
 fratres, qui fide excidissent, declarabant, ad legentium
 vtilitatem, hoc loco posuimus, quo inhumanus & cru-
 delis animus eorum, qui deinceps erga debilia Christi
 membra in aliquod peccatum delapsa, tam inclementes
 & ferreos seipfos ostendebant, perspicue coarguatur.

*Qualis à Deo viso Attalo martyri per quietem
 apparuerit. CAP. III.*

EAdem porrò epistola de martyribus suprā memo-
 ratis perscripta, aliam etiam historiam dignam planē
 memoria continet: quam isto loco, quò à lectoribus
 cognoscatur, citare nō grauabimur. Ea huiusmodi est.
 Alcibiades, vnus ex illorū martyrum numero, vitā admo-
 dū duriter & austere instituēs, nullum omninò ante illud
 tēpus, cibū capeffere, sed pane solo, & aqua vti solet. Quī
 cū in carcere eodē modo vitam degere in animo habe-
 ret, Attalo post primum certamen, quod in amphithea-
 tro cōfecerat, indicatum est, Alcibiadem parum con-
 syderate fecisse, cum & Dei creaturis ipse vti nollet, &
 aliis etiam inde quoddam offensionis exemplar relin-
 queret. Alcibiades igitur à fratribus tandem persuasus,
 omnia cibaria deinceps atque delectu capeffebat, & gra-
 tias agebat Deo. Non enim diuina gratia istos suo beni-
 gno obtutu destitutos reliquerat: sed spiritus sanctus
 illis semper præsto dabat consilium. Ista isto modo sint
 exposita. Cū Montanus, & Alcibiades, & Theodotus in
 Phrygia iam tum prophetandi opinionē apud cōplures
 adepti fuissent (permula enim diuina gratia largiente mi-
 racula operaq; stupenda ad illud vsq; tempus per varias
 eccle-

EUSEBII HISTORIAE

ecclesias edita, fidem multis faciebant, illos etiam donis prophetiae fuisse consecutos) cumq; de istis hominibus controuersia orta esset, fratres rursus, qui in Gallia habitabant, priuatum iudicium, idque prudens & rectum cum primis, de eisdem, epistolae, quam diximus, subiunxerunt: nonnullasq; ac varias martyrum literas, qui apud ipsos mortem oppetebant, quas cum adhuc tenerentur in vinculis, non modo fratribus in Asia & Phrygia, verum etiam Eleuthero episcopo Ro. (quem vehementer rogabant, vt pax & concordia in ecclesiis constitueretur) exarabant, eidem epistolae adiecerunt.

Quomodo martyres Irenaeum per epistolam commendauerint. CAP. IIII.

Idem porro martyres Irenaeum ecclesiae Lugdunensis eid temporis praesbyterum per literas eidem episcopo Romano scriptas, plurimum commendabant: permultaq; viro illi virtutis dabant testimonia, sicut ipsa literarum verba declarant ad hunc modum. Te in Deo omnibus in rebus perpetuo, pater Eleuthere, valere optamus: Has literas ad te perferre fratrem nostrum Irenaeum & ministerii consortem, rogauimus: teque obsecramus, vt illum, vtpote studio incredibili erga testamentum Christi flagrantem, gratia & beneuolentia praeter ceteris complectaris. Quod si locum & gradum ecclesiastici ministerii vim & facultatem habere, iustitiae cuiquam impertiendae animaduertemus, hunc vt praesbyterum ecclesiae (hoc namq; munus obtinet) in primis tibi commendassemus. Verum quid attinet martyrum catalogum in eadem, quam citauimus, epistola comprehensum recensere? qui partim capite obruncato occubuerunt, partim bestiis dilacerandi, proiecti fuerunt, partim in ergastulum conclusi, vitam amiserunt? Quid item numerum confessorum commemorem, qui ad id temporis fuere superstites? Perfacile enim (si cui visum fuerit) licet ista plenissime cognoscere, modo illam epistolam, quam in libro nostro de martyribus vt dictum est, posuimus, accurate voluerit euoluere. Sed de rebus, Antonino regnante, gestis, ita a nobis explanatum sit.

Quo-